

charitate cogitet. Plus tamen aliquid exigere videtur S. Bonaventura (2. Dist. 41. art. 1. q. 3. o et ad 2.) et ad meritum requirere, ut ad singula opera vel saltem ad singulas operum series fiat ista in Deum ordinatio; quae si desit, Deus opus nec remuneret nec imputet in culpam. Idcirco inquit (ibid. ad 6.): *Si opus alterius generis inciperet, oporteret, ut intentio renovaretur ad hoc ut opus esset meritorium.* Nihilominus cum (ibid.) in Religioso ad meritum regularis observantiae sufficere autumet actum charitatis, quo ab initio vovit portare Religionis pondus; imo cum ad meritum (ibid.) satis habeat, si iustus, nihil de Deo cogitans solum consideret opus, v. gr. obedire, esse bonum; vix reipsa a S. Thoma distare videtur; quinimo Vasquez (disp. cit. cap. 2. n. 9.) non dubitat, S. Bonaventuram in suam opinionem aut certe in s. Thomae sententiam pertrahere.

q. 14. a. 5. ad 13.): *In habente charitatem non potest esse aliquis actus virtutis, nisi a charitate formatus. Aut enim ille erit in finem debitum ordinatus, et hoc non potest esse nisi per charitatem in habente charitatem: aut non est ordinatus in debitum finem, et sic non erit actus virtutis.*

Resp. Haec nihil aliud sibi velle, nisi ut actus cuiusvis virtutis ordinetur ad Deum, seu summum illud bonum, quod est obiectum charitatis. Unde S. Thomas (3. Dist. 27. q. 1. art. 4. q. 3.): *Quod charitas sit motor omnium aliarum virtutum, ex hoc patet, quod ipsum bonum, quod est obiectum charitatis sub ratione finis, est finis virtutum.* Et dein subdit: *Et secundum hoc (charitas) dicitur earum actus imperare.*

Eadem de causa a S. Thoma charitas virtutum forma dicitur (De Virt. q. 2. art. 3.): *Actus omnium aliarum virtutum ordinantur in finem proprium charitatis, quod est summum bonum... Et pro tanto (charitas) dicitur forma omnium virtutum, in quantum scilicet omnes actus omnium virtutum ordinantur in summum bonum amatum.*

Eadem ratione charitas iuxta S. Doctorem dicitur virtutibus imperare (2. Dist. 40. q. 1. art. 5.): *Cum charitas imperet omnibus virtutibus... oportet, quod quidquid ordinatur in finem alicuius*

*virtutis, ordinetur in finem charitatis* (scil. in obiectum charitatis, quod est summum bonum); *et cum omnis actus bonus ordinetur in finem alicuius virtutis, in finem charitatis ordinatus remanebit, et ita meritorius erit. Et sic comedere et bibere servato modo temperantiae, et ludere ad recreationem servato modo eutrapeliae..., meritorium erit in eo, qui charitatem habet.*

Neque tamen opus est, ut dum quis agit, de finibus virtutum in finem charitatis ordinandis cogitet. Ita S. Thomas (2. Dist. 40. q. 1. art. 5. ad 3.): *Non solum actus charitatis est meritorius, sed etiam actus aliarum virtutum secundum quod gratia informantur; licet meritorii esse non possint nisi secundum quod reducuntur in finem charitatis. Non autem oportet quod semper actus in finem illum (charitatis) reducantur; sed sufficit ad efficaciam merendi, quod in fines aliarum virtutum reducantur; qui enim intendit castitatem servare, etiamsi de charitate nihil cogitat, constat quod meretur, si gratiam habet. Omnis autem actus in aliquod bonum tendens, nisi inordinate in illud tendat, habet pro fine bonum alicuius virtutis; eo quod virtutes sufficienter perficiunt circa omnia, quae possunt esse bona hominibus.*

## TRACTATUS DE CONSCIENTIA

36. — DEFINITIO. Conscientia est dictamen practicum rationis, seu iudicium practicum, quo iudicamus aliquid posse vel debere fieri, quia bonum vel praeceptum, aut omittendum esse, quia malum (1). — Hinc differt a *synderesi*, quae principia tantum generalia dictat.

DIVISIO. Conscientia distinguitur

1° *Recta*, vel *erronea*, prout verum vel falsum dictat (2).

2° *Certa*, vel *dubia*, prout mens firmiter iudicat aliquid esse bonum vel malum, aut e contra suspensa haeret circa actionis honestatem.

3° *Scrupulosa*, vel *laxa*, prout vel inani motivo apprehendit peccatum ubi non est, vel e contrario leviori de causa peccatum abesse praesumit, aut leve habet, quod est grave.

4° *Probabilis*, vel *improbabilis*, prout ex motivo gravi aut infirmo ad opinandum mens inclinatur (3). — De singulis seorsim (4).

(1) Alicuius conscientiae, idest iudicii de honestate vel inhonestate actionis, necessitas ad bonum vel malum morale manifesta est. Imputari enim homini non potest actus, cuius non sit dominus. Dominus autem actuum suorum homo est per liberam voluntatem, qua se determinat. Atqui nulla voluntas est aut esse potest illius honestatis aut inhonestatis, quam agens non cognoscat, quippe *voluntas non fertur in incognitum*. Nulla ergo honestas aut inhonestas (*formalem* intellige, non autem mere *materialem*), seu nullum bonum aut malum morale inesse actibus potest, nisi et quatenus eos praecedat aliquod rationis iudicium de ipsorum honestate vel inhonestate. Et ita quidem secundum prima ac notissima philosophiae ac theologiae moralis, imo et sensus humano generi communis elementa. Quae cum manifestissima sint, Italiae tamen infelicissimum hoc servabatur aetate nostra decus, ut philosophico amicta pal-

lio, et instar collapsam restaurantis moralem scientiam, impune per eam discurreret doctrina, vi cuius actus morales sine ulla conscientia admitti debeant, et quidem actus, qui non modo moraliter boni aut mali censendi sint, sed etiam meritorii aut demeritorii, qui tamen absque ullo alioquin praecedenti iudicio de ipsorum honestate aut inhonestate elicit fuerint! Quo pacto haec cum dogmate catholico cohaereant, alii sane viderint; quoad philosophema, sat nobis illud in praesens sit: *Quantum est in rebus inane!*

(2) Quidem *erroneae* volunt opponere *veram* potiusquam *rectam*; quia conscientiam *rectam* illis quoque inesse contendunt, qui agunt ex conscientia invincibiliter *erronea*. Agitur, ut patet, de modo loquendi.

(3) Communis usus habet, ut *probabilitas* aut *improbabilitas* dicantur de opinione potius quam de conscientia.

(4) Non omittenda distinctio est, quae

## CAPUT I.

## DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRONEA

37. — DEFINITIO. Conscientia *recta* ea est, quae repraesentat obiectum sicut in se est: secus *erronea* est dicenda; et quidem *erronea* dicitur *invincibiliter*, aut *vincibiliter*, prout ignorantia seu error inculpabilis est, aut culpabilis.

**Principia.** — I. Conscientia *recta* praecipiens semper sequenda est, quia conscientia est regula proxima voluntatis, derivata a prima et summa regula omnium actionum humanarum. — S. Lig. n. 3.

II. Conscientia *invincibiliter erronea* praecipiens pariter in omni casu sequenda est; quia omnino equiparanda est subiective conscientiae rectae, et quia, iuxta Apost. *Omne quod non est ex fide* (seu iuxta conscientiam) *peccatum est.* — S. Lig. n. 5.

III. Conscientia *invincibiliter erronea* permittens eximit ab omni peccato, quia ibi nullum potest esse peccatum, ubi nulla malitia apprehenditur. — S. Lig. *ibid.*

IV. Non licet sequi conscientiam vincibiliter erroneam permittentem, aut praecipientem, quia cum ex hypothese error sit vincibilis, quisquis agit cum tali conscientia, errat voluntarie. Nec licet agere contra eam praecipientem, quia sic agens illud facit, quod iudicat prohibitum, ideoque

passim apud Auctores recurrit, conscientiam nempe vel *antecedentem* dici, vel *consequentem*, prout iudicium de honestate actus vel praecedit actum ipsum, vel eum subsequitur. Qua de re docenda sane est plebs christiana, *formalem* actuum bonitatem vel malitiam non a *consequenti* conscientia desumi, sed ab *antecedenti*. Decipiuntur enim saepius rudes, qui dum vel libros legunt, vel audiunt conciones iudicant, se in quibusdam peccasse, quando de malitia illorum actuum, aut certe de quapiam culpa gravitate nunquam inter agendum cogitaverant, aut suspicati fuerant.

Pulchre S. Thomas (1. q. 79. art. 13.), conscientiae tum *antecedentis* tum *consequentis* munia sic describit: *Dicitur conscientia* testificari, ligare vel instigare, vel etiam accusare, vel etiam remordere sive reprehendere. Et haec omnia con-

*sequuntur applicationem alicuius nostrae cognitionis vel scientiae ad ea, quae agimus. Quae quidem applicatio fit tripliciter: Uno modo secundum quod recognoscimus, aliquid nos fecisse vel non fecisse...; et secundum hoc conscientia dicitur testificari (hic habes conscientiam consequentem licet non moralem). Alio modo applicatur secundum quod per nostram conscientiam iudicamus, aliquid esse faciendum; et secundum hoc dicitur conscientia ligare vel instigare (id pertinet ad conscientiam antecedentem). Tertio modo applicatur secundum quod per conscientiam iudicamus, quod aliquod, quod factum est, sit bene factum, vel non bene factum; et secundum hoc conscientia dicitur excusare vel accusare, seu remordere (quae spectant ad conscientiam consequentem).*

peccat. Proinde ante actionem illa conscientia per inquisitionem veritatis deponenda est (1). — S. Lig. n. 4.

38. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Qui putat esse ieiunium quando non est, ob erroneam conscientiam peccat contra praeceptum, si non ieiunet.

2<sup>o</sup> Si quis mentiatur ad liberandum proximum e periculo vitae, putans inculpabiliter se ex charitate ad id teneri, actum bonum facit; et si non mentiatur, contra charitatem peccat.

3<sup>o</sup> Qui cum aliquo dubio putat, sibi mentiendum vel furandum esse, ut proximo succurrat, non potest talem conscientiam sequi nec contra eam facere; sed debet, si possit, inquirere, eam deponere, et postea operari; talis enim error est vincibilis.

**QUAER.** *Quibus signis Confessarius cognoscere possit, errorem esse vincibilem in poenitente?*

**Resp.** Interroget 1<sup>o</sup> an aliquam indecentiam in hoc actu adverterit? 2<sup>o</sup> an ipsi sua conscientia dictaverit esse saltem interrogandum Confessarium, vel alium prudentem virum? 3<sup>o</sup> an occasionem interrogandi ex verecundia (2) aut metu neglexerit? Si poenitens affirmative respondeat ad unum vel alterum ex his, censi potest, in culpabili errore versari; secus, si ad omnia negat. — V. Casus, n. 37.

(1) Haec valent quoad eum, qui hic et nunc aliquo modo advertit aut suspicatur de necessitate inquirendi, priusquam agat. At fieri etiam potest, prout monet Croix (Lib. 1. n. 42.), ut error quidem olim fuerit culpabilis, quem tamen in praesens quis amplius non advertat, v. gr. si confessarius non satis olim theologiam excoluit, aut huius studium nimis diu ex negligentia intermisit. Et de hoc verissime dicitur cum S. Thoma (*De Verit.* q. 17. art. 8. ob. 8.), quod *nunquam a peccato excusatur*, sive agat iuxta conscientiam sive contra. Et ratio patet, quia semper adest vetus illud peccatum, culpabilis nempe ignorantia eorum, quae quis scire tenetur. Nec reatus iste incurritur, dum quis acturus nunc est; sed est culpa omissae olim diligentiae, et a praesenti actione independens;

cuius proinde gravitas desumi debet non ab actione nunc ponenda, sed ex communibus principiis de peccatis ignorantiae. Atque hinc vera etiam ratio patet, cur in casu magis reus sit, qui agit contra conscientiam, quam qui iuxta. Nam hic praedictum tantummodo ignorantiae reatum habet. Ille vero praeter hunc addit alium nunc reatum actionis contra conscientiam positae. Quod si quis ignorantiae culpam per congruam poenitentiam et additam diligentiam, ut par est, retractaverit, patet eum illi equiparandum esse, qui invincibili ignorantia laborat.

(2) Quaedam tamen personae, ut docet experientia, subinde verecundia prohibentur ab interrogando etiam circa ea, quae nullum habent reatum.

## CAPUT II.

## DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA.

## ARTICULUS I. — DE CONSCIENTIA CERTA.

39. — DEFINITIO. Conscientia certa ea est, qua quis firmiter et absque errandi formidine iudicat, aliquid esse bonum vel malum.

DIVISIO. Certitudo triplex distingui solet:

1<sup>o</sup> *Metaphysica*, quae competit iis propositionibus, in quibus attributum subiecto essentialiter convenit, atque adeo immutabilis est.

2<sup>o</sup> *Physica*, quae fundatur in ordine constanti, quo mundus regitur; haec firma consistit, quousque leges physicae constantes sunt, et constantes fuisse censentur.

3<sup>o</sup> *Moralis*, quae nititur legibus, quibus homines in suis actibus reguntur.

Iterum certitudo moralis subdividitur in *perfectam* et *imperfectam*. Prior est, quae ita fundatur in legibus moralibus, ut clare percipiatur, propositionem falsam esse non posse. Haec ad certitudinem metaphysicam mediate reducitur. Posterior ea est, quae competit iis propositionibus, in quibus errorem esse absolute non repugnat, quamvis difficillime contingere id possit. Haec varios gradus admittit.

Item certitudo alia est *directa*, quae obtinetur per certa argumenta materiae intrinseca; alia *indirecta*, quae habetur ex principio aliquo extrinseco, v. gr. Ecclesiae auctoritate.

**Principia.** — I. Sola conscientia *certa* est recta regula morum. Ratio est 1<sup>o</sup> quia *omne quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. 23.; 2<sup>o</sup> quia agens cum conscientia non certa violat obligationem de veritate inquirendi, et ideo peccat formaliter (1).

II. Sufficit conscientia moraliter certa, etiam imperfecta. Ratio est, 1<sup>o</sup> quia agens cum tali conscientia, vere ex fide agit; — 2<sup>o</sup> quia certitudo absoluta plerumque haberi nequit; — 3<sup>o</sup> quia constat ex sententia communi Doctorum, et ex praxi universali (2).

(1) Praecepta nempe nos obligant non modo ne scienter ipsa violemus, sed etiam ne per inquirendi negligentiam eadem transgrediamur. Et exinde est reatus illius, qui agit dubitans de actus honestate. Qua de re Suarez (*De Censuris* Disp. 40. Sect. 5. n. 12.): *Quamdiu homo non facit, quod in ipso est, ad deponendum dubium, illi imputatur quidquid*

*est periculi in tali operatione; ignorantia enim, quae ibi intervenit, vincibilis est, ideoque non potest a culpa excusare.* Exinde ab hac culpa ne ille quidem immunis est, qui inter temere agendum partem illam amplectitur, quae cum recta agendi norma congruit.

(2) Quidquid plane firmatae certitudini in casu desit, semper per principia reflexa

## ARTICULUS II. — DE CONSCIENTIA DUBIA.

40. — DEFINITIO. Conscientia dubia ea est, quae haeret suspensa circa actionis honestatem. Dubium enim est suspensio assensus inter opposita (1).

DIVISIO. Multiplex dubium distinguitur, scilicet.

1<sup>o</sup> *Positivum*, vel *negativum*, prout adsunt rationes graves dubitandi, aut leves tantum, vel etiam nullae: seu dubium est *positivum*, quando mens suspendit assensum ob apparentem aequalitatem rationum; *negativum* vero, quando mens suspendit assensum ex defectu rationum (2).

2<sup>o</sup> *Iuris*, vel *facti*, prout versatur circa legis existentiam, eiusque obligationem, aut circa factum aliquod particulare.

3<sup>o</sup> *Speculativum*, vel *practicum*, prout versatur circa veritatis cognitionem abstractam et in communi, vel circa veritatem, quae hic et nunc ad opus ordinatur.

Dubium autem *speculativum* potest etiam dividi in *speculativum simpliciter*, cum dubitatur de re ad mores non pertinente; et in *speculativo-practicum*, quando dubitatur de principio generali morum, aut de bonitate actionis in se sumptae, nec tamen inquisitio ad opus reipsa exsequendum ordinatur; si vero circa actionem versetur hic et nunc ponendam, dicitur a quibusdam *dubium practice-practicum*.

41. **Principia.** — I. Nunquam licet operari cum conscientia *practice dubia*, sed pars tutior est sequenda. Ratio patet ex modo dictis de con-

suppletur, ut mox dicitur, ubi de opinione probabilis. Nam alioqui certitudo de honestate actionis firma esse debet, ut inferius circa probabilioristarum theorias advertendum occurret.

(1) Adverte sedulo discrimen inter *dubium*, *suspicionem* et *opinionem*; quod paucis sic declarat S. Thomas (2. 2. q. 2. art. 1.): *Quidam actus intellectus habent cogitationem informem absque firma assensione sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti, sive in unam partem magis declinent, sed tententur aliquo levi signo, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhaereant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti.*

(2) De his S. Thomas (*De Verit.* q. 14. art. 1.): *Intellectus noster... quandoque non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moven-*

*tium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum, quae movent ad utramque partem: et ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipsum ad unam partem totaliter; unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita: et haec est dispositio opinantis.* Haec S. Doctor; e quibus collige, non accurate quosdam recentiores confundere *dubium positivum* cum statu *opinantis* pro alterutra parte. Nam *dubium* excludit assensum; *opinio* vero aliquem assensum habet.

*scientia certa, principio 1.* — Licet autem quandoque operari cum conscientia speculative dubia, cum scilicet deposito dubio practico ex dictamine practice certo, seu ex principiis reflexis certis, conscientia efformatur, ut mox agendo de probabilismo dicemus.

II. Dubium mere negativum pro nihilo habendum est; quia in ratione prorsus nulla, aut valde levi fundatur: proinde etsi illud maneat, urget tamen obligatio, vel stat libertas (3), prout antea existebat; nec efficere potest, ut moralis certitudo oppositi subvertatur. Verum si prudens suspicio de errore tibi oriatur, ad inquirendum teneris. Itaque cum posthac casus dubii negativi occurrent, eos, ista regula semel statuta, facile dilues, et idcirco ad solum dubium positivum attendemus — S. Lig. n. 24.

42. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Quoties quis dubitat, utrum actus, quem hic et nunc est positurus, sit licitus, necne, diligentiam veritati inquirendae, pro rei gravitate, et personae locique conditione congruam, adhibere tenetur; probos et peritos consulat, eorum praxim investiget, rationesque solo veritatis studio perpendat: secus enim periculo legis violandae ex inquisitionis negligentia se exponit, et eo ipso peccat.

2<sup>o</sup> Si inquirere non possit, nec per se rationes utriusque partis pendere valeat, nec alia ratione, v. gr. per principia reflexa a dubio se expedire, tutiorem partem amplectatur; quia secus ageret in dubio *practice-practico*, id est cum conscientia vere dubia, ac sine ullo de actionis honestate certo iudicio.

3<sup>o</sup> Qui diligenti ac sufficienti inquisitione peraeta adhuc dubitat, an adsit lex praeciens aut prohibens, huic obtemperare non tenetur; quia efformare sibi conscientiam potest ex principio *reflexo*, scilicet non posse obligare legem, quae inveniri non potest, ut infra, ubi de *probabilismo*, dicitur.

4<sup>o</sup> Inepte agunt, qui post actum iam commissum vel omissum apud Doctores vel a Confessario inquirunt, utrum peccaverint; nam peccatum praeteritum non pendet a sequenti iudicio Doctoris aut Confessarii, sed a dictamine practico, quod quis in agendo habuit — Prudenter tamen facit qui interrogat, ut veritatem cognoscat, quo pacto scilicet in futurum in simili casu se gerere possit aut debeat.

43. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An graviter peccet operans cum dubio practico de peccati gravitate?*

**Resp. Affirm.** Qui enim agit cum conscientia practice dubia, secundum communia principia peccat ea peccati specie tum morali tum theologica,

(3) Dubium negativum est suspensio assensus ob defectum rationum pro utraque contradictionis parte. Ergo cum hic supponatur ex altera parte certa lex aut libertas, *dubium* sumitur lato quodam sensu pro inani suspicione.

de qua practice, dum agit, dubitat. Ratio est, quia obligationem sane gravem violat praecavendi, ne per ignorantiam aut inadvertentiam voluntariam incidat in legis transgressionem, quae graves esse possint.

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *An peccet graviter, qui scit actionem suam esse malam, sed ad eius gravitatem non attendit?*

**Resp.** Alii censent hunc peccare graviter, vel leviter, prout obiectum peccati est in se grave, vel leve; alii vero semper graviter (4), alii demum venialiter tantum, modo malitiam gravem, saltem in confuso, non apprehendat; quod tamen supponi nequit, ubi agitur de re notabiliter gravi (5). — S. Lig. n. 23.

**QUAER.** 3<sup>o</sup> *Quid agendum sit in casu conscientiae perplexae, quando quis scilicet inter duo praecepta constitutus haeret dubius, quodnam e duobus sequi debeat?*

**Resp.** Sequentes regulas in perplexitate teneto:

1<sup>o</sup> Consule, si possis, Confessarium, vel alios prudentes viros; quia in eo casu ignorantia vincibilis est.

2<sup>o</sup> Si consulere nequeas, et adsit necessitas agendi, quia actio sine gravi damno suspendi nequeat, elige quod tibi minus malum videtur, non tamen ita ut malum facias, sed ut magis a malo recedas. Scito autem legem *inferioris ordinis* debere legi *superioris ordinis* cedere.

3<sup>o</sup> Si utrumque praeceptum aequae tibi grave videatur, quidvis elige, nec peccabis; non enim peccandi datur necessitas. — S. Lig. n. 10. — V. Casus, n. 43.

### CAPUT III.

#### DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA.

##### ARTICULUS I. — DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

Conscientia scrupulosa dicitur, quae ex levi imo et vana causa dubitat de alicuius actionis honestate, ideoque formidat de peccato, ubi peccatum non est. Scrupulus enim est inanis apprehensio, seu levis suspicio, qua quis falso iudicat aliquid esse peccatum. Vox autem *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis, seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes pedibus molestiam creant.

Dicemus breviter de scrupulorum causis, signis, damnis, remediis, necnon de regulis pro poenitentibus scrupulosis, eorumque Confessariis.

(4) Isti nimirum supponunt hunc hominem ita animo comparatum, ut velit agere, etiamsi gravis sit culpa. sunt oppositae; quia non de eadem hypothese, sed de diversa tractant; quocirca facile conciliari possunt.

(5) Ista tamen sententiae vix dici pos-